

DE ministerio sacro & ordine ecclesiastico acturus, rectissime mihi agere videor, si ab ipso nomine capiam exordium tractationis meæ. *Ordinis* appellatio eo sensu, quo ego h. l. vocem illam accipio, ἀρχαῖος est. *Ministerii* vero & *ministerorum* voces in sacrarum literarum codice haud raro sunt adhibitæ. Quemadmodum enim in divinis V. T. monumentis frequentissimi usus sunt vox concreta כהן & abstracta כהנה; ita in apostolorum N. T. scriptis ordini ecclesiastico sæpius tribuitur appellatio διακονίας. Est autem vox utraque ἐκ πῶν πολλὰς λεγομένων. Denotat enim vocabulum כהן aliquando regis vel principis ministrum. Quo sensu de Potiphare dicit Moses, quod fuerit כהן נ, princeps On, Gen. XLI, 45. Secundum etymologiam enim significat *ministrum* in genere. Hinc idem nomen aliquoties tribuitur *sacerdotibus religionis idololatricæ*, utpote ministris Deastrorum, quomodo sacerdotes impiissimi Regis Israel dicuntur כהני 2. Reg. X, II. κατ' ἐξοχην autem eo nomine in V. T. indicantur *sacerdotes Dei summi*, testibus passim permultis scripturæ locis. Eadem ratio est vocis abstractæ כהנה, quæ *sacerdotium sacrum* denotat Num. XVIII, 1. Ios. XVIII, 7. 1. Sam. II, 36. Quod de vocibus Hebræis כהן & כהנה dixi, idem observare licet in vocibus διακονία & διακονος. In latissima significatione vocabulum διακονίας accipitur pro quovis *ministerio & servitio*. Quo sensu Luc. X. 40. tribui-

A

tribui-